

1.14.

10 [Ἀντοκράτορες Λέων καὶ Ἀνθέμιος ΑΑ.]
Πάντες κατὰ τοὺς νόμους πολιτευέσθωσαν, καὶ
εἰ τῷ θεῷ διαφέροιν οἴκῳ.

id est:

Omnes secundum leges vivant, etiamsi ad sacram domum pertineant.

1.14.11

Imp. Leo et Zeno AA.

Cum de novo iure, quod inveterato usu non adhuc stabilitum est, dubitatio emergat, necessaria est tam suggestio iudicantis quam sententiae principalis auctoritas.

D. X k. Mai. Leone iuniore A. cons.

[a. 471]

1.14.12

Imp. Iustinianus A. Demostheni pp.

Si imperialis maiestas causam cognitionaliter examinaverit et partibus cominus constitutis sententiam dixerit, omnes omnino iudices, qui sub nostro imperio sunt, sciant hoc esse legem non solum illi causae, pro qua producta est, sed omnibus similibus.

1 ¶ Quid enim maius, quid sanctius imperiali est maiestate? vel quis tantae superbiae fastidio tumidus est, ut regalem sensum contemnat, cum et veteris iuris conditores constitutiones, quae ex imperiali decreto processerunt, legis vicem obtinere aperte dilucideque definiunt?

2 ¶ Cum igitur et hoc in veteribus legibus invenimus dubitatum, si imperialis sensus legem interpretatus est, an oporteat huiusmodi regiam interpretationem obtinere, eorum quidem vanam scrupulositatem tam risimus quam corrigendam esse censuimus.

3 ¶ Definimus autem omnem imperatoris legum interpretationem sive in precibus sive in iudiciis sive alio quocumque modo factam ratam et indubitam haberi, si enim in praesenti leges condere soli imperatori concessum est, et leges interpretari solum dignum imperio esse oportet.

4 ¶ Cur autem ex suggestionibus procerum, si dubitatio in litibus oriatur et sese non esse idoneos vel sufficientes ad decisionem litis illi existiment, ad nos decurritur et quare ambiguitates iudicum, quas ex legibus oriri evenit, aures accipiunt nostrae, si non a nobis interpretatio mera procedit? vel quis legum aenigmata solvere et omnibus aperire idoneus esse videbitur nisi is, cui soli legis latorem esse concessum est?

5 ¶ Explosis itaque huiusmodi ridiculosis ambiguitatibus tam conditor quam interpres legum solus imperator iuste existimabitur: nihil hac lege derogante veteris iuris conditoribus, quia et eis hoc maiestas imperialis permisit.

*Recitata septimo militario urbis Constantinopolitanae
in novo consistorio palatii Iustiniani.*

D. III k. Nov. Decio vc. cons.

[a. 529]